

unum adhuc in fide erat, & ipsum in hostium potestatem ultro venit. Nec post id tempus majores ulli in Gallia fuere conatus. Exacta maxima autumni parte, quum jam hyberniorum tempus appeteret, tentavit Sforcia in Lodovici Gonzagæ gratiam Afulam oppugnare: a quo incœpto, modo vi maxima ventorum, quæ per eos dies coorta dicitur, modo per continuos imbræ, qui postea secuti sunt, repulsus, rem in aliud tempus distulit. Renatus & ipse media ferme bruma, iratus (ut creditur) Sforciæ & Florentinis, per Astenses & Taurinos in Galliam abiit.

Sed ad res Græciæ redeamus. Post Byzantii expugnationem, quum sollicita esset civitas de salute eorum qui cum ipsa urbe in Turcorum potestatem venerant, ex iis qui non multo post oneraria navi Venetias venere, cognitum est, Venetos qui Byzantii intercepti fuerant, in vinculis esse, nec in eos, quos fortuna servasset, a victore postea aliquo modo sævitum. Paucis inde diebus Laurentani literis Senatus certior factus est de captivorum redemptione, qui, septem millibus aureorum nummum datis, a barbaro dimissi essent. Eo ipso die, quo hæc allata sunt, Pontificis Legatus Venetias applicuit, cui frequenter itum est obviam: egit is cum Patribus de pace, quam & Florentiæ prius egisse, & apud Sforciam deinceps acturum se est professus. Statuisse ad hæc Nicolaum Pontificem, ob ingens periculum quod rei Christianæ a Turco immineret, Italiam statum pacare, futurumque se pacis arbitrum: quam si quis detrectasset, fore ut ille paulo post anathematis spiculo petitus, pro hoste non solum Italiam, sed Christiani etiam nominis haberetur. Cum hac denunciatione, cui Patres haud gravate accedebant, Venetiis profectus ad Franciscum Sforciam iter intendit. Laurentanus, qui, audita (ut dixi) Byzantii expugnatione, in Eubœa subsederat, ad Senatum per eos dies literas dedit, quibus significabat, se tuendæ insulæ consilio eo loco esse statuisse, oppressissime ad hæc se quatuor eorum triremes, ac biremes tredecim, earumque remiges in terram dilata-